

us sapiens statuarius dicatur. Sed II. ipsa quæ habitus animi est quo & principia (quod intelligentiæ est) & ex principiis conclusa (quod scientiæ est) cognoscuntur.

XVIII. Hæc definitio non ita intelligenda ut numerum virtutum minuat, quia nullum compositum auget numerum rerum simplicium: sed ut virtutem distinctam ab intelligentia & scientia proferat, cum illud peculiare habeat, quod proxime prodeat ex principiis proxime primis, propterea rectè finxere veteres Palladem scientiæ Deam ex Iovis capite *Piccolom. grad. 5. civ. phil. c. 22. Natal. Comes. lib. 4. myth. c. 5.*

XIX. Nec II. ut Sapiencia cum Prudentia confundatur quod Romani fecerunt Sempronium & P. Attilium sapientes appellantes *t. Pompon. l. 2. § fuit 37. & seq. ff. de orig. juris.* sed differat *t. Præstantia* ut enim *l. divina* conditio præfertur humanæ: ita Sapiencia Prudentiæ, quia Dii non operantur per moralem virtutem: sed per sapientiam *Arist. 10. Eth. c. 8. unde 12. met. cont. 39.* Diis contemplationem competere asserit, 2. quia conditio Sapientis est converti ad interna & ad supera, agentis vero ad externa & infera *Piccol. grad. 5. Civil. phil. cap. 42.*

XX. II. *Natura*, quæ in sapientia tantum unica, in prudentia autem varia *Acciaj. lib. 6. Eth. c. 7. § 62. p. 498.* est enim illa perfectissima rerum notitia, quæ non multiplex esse potest, ut apparet ex albo & recto, quæ cum natura ita constant, semper sunt idem, e contra vero se habet in prudentia, nam alia est in medico alia in Icto, alia in Theologo quam in Politico *Jacob. Stapul. d. l. p. 34. col. 1. concl. 2.*

XXI. III. *Materia*, quia prudentia sese extendit, tam ad singularia, quam universalia, & potissimum quidem circa illa, cum omnis vis actionum in singularibus & circumstantiis eorundem consistat: Sapientia autem tantum est universalium *Savonar. lib. 4. instit. Eth. concl. 8. Giph. 6. Eth. c. 7. p. 486.*

XXII. Absoluta tractatione generali venimus ad specialem, quæ Prudentiæ continet I. PARTES quæ duæ sunt, quarum una *Privata*, quia unius est ad seipsum *Acciaj. d. l. §. 73. p. 05.* bona malave, utilia & iuutilia, commoda & incommoda vitæ, cognoscendi, dijudicandi, adipiscendi fugiendiq; viam common-

S

strans;

Cap. 8.